

accidentibus, ille ea elocavit tanti, quanti voluit, et magna inde pecunia coacta, probavit, facile esse philosophis ditescere, si velint: sed eos in alia longe praestantiora studium conferre.

2. Ego, inquit Vitruvius de se ipso, quum et parentum cura, et praeceptorum doctrinis, auctas haberem copias disciplinarum philologis et philotechnis rebus, commentariorumque scripturis me delectans, eas possessiones animo paravi, e quibus haec est fructuum summa, nullam plus habendi necessitatem, eamque esse proprietatem divitiarum maxime, nihil desiderari. Sed forte nonnulli haec levīa judicantes, putant, eos esse tantum sapientes, qui pecunia sunt copiosi. Itaque plerique ad id propositum contententes, audacia adhibita, cum divitiis etiam notitiam sunt consecuti. Ego autem, Caesar, non ad pecuniam parandam ex arte dedi studium; sed potius tenuitatem cum bona fama, quam abundantiam cum infamia, sequendam putavi. Neque est mirandum, quid ita pluribus sim ignotus. Caeteri architecti rogant et ambiunt, ut architectentur: mihi autem a praeceptoribus est traditum, rogatum, non rogantem oportere suscipere curam.

## CAPUT VII.

EA VIATICA PARANDA SUNT, QUAE CUM NAUFRAGIO  
ENATENT.

1. Aristippus, philosophus Socraticus, de quo supra, interrogatus, quid differret sapiens ab insipiente? *Mitte* inquit, *ambos nudos ad ignotos, et disces.* — Quae responsio quam vera esset, ipsius exemplo probatum est. — Quum ejectus ad Rhodiensium littus, animadvertisset geometrica schemata, exclamavisse ad comites ita dicitur: *Bene speremus, hominum vestigia video;* statimque in oppi-